



**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.  
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

De Sanctorum Festiuitatibus Anni totius, & aliis solemnitatibus - Opvs  
Novvum, Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue] Scriptoribus  
plenißimum, cum occurentium fidei controuersiam tractatione .... Editio  
Qvinta. Nvnc Demvm Integre Svppletæ, Concionibvs Per Octauam Vener.  
Sacramenti ...

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1629**

In Festo S. Lvcae Evangelistæ.

---


---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56262](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56262)

mundi hæc machina stabit, stabunt, & in perpetua hominum viuent memoria, oblivionis omnis expertia. Nunquam non Ecclesia te Catholica, velut martyrum suorum illustrum vnum exaltabit, Lutetia ceu Episcoporum suorum sanctissimum extollet, Gallia deniq; vniuersa nomen tuum semper prædicabit, vt Religionis suæ fundatoris, fidei suæ doctoris, verbo vt dicam, vt Apostoli sui celeberrimi. Eia ergo, gloriose Martyr, fidei fidei nostræ testis, magnæ veritatis Doctor, quantum te ipsi laudamus & obsecramus in hac vita mortali, pro nobis tantum ipse vicissim in cœlesti regione apud communem Dominum intercede. Tuo quæso fauore, auxilio ac gratia fiat, vt quam ipse prædicasti, & sanguinis effusi sigillo obfirmasti fidem, hoc in regno integra ac sincera conseruetur, Euangelii puritas inibi semper impermixta erroribus permaneat, antiquæ ac pristinæ pietatis ignis nunquã exstinguatur, sed semper magis ac magis inardescat, eadem religionis hic sit, quæ regni ac status politici perpetuitas, ipse Redemptor Iesus assidue hic adoretur, Ecclesia eius floreat, fides ac deuotio nunquam intermorsatur, virtutes suum hic figant domicilium ac sedem, hæreses omnes & erronea dogmata proscribantur, & regni pax, & illius cum religione coniunctio & eum vtraq; cœlestis benedictio perpetuo perseueret. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Amen.



## Partitio.

1. De missis animarum curionibus in atate gratia.
2. De modo Apostolica missionis.
3. Cur sine pera es calceus?
4. De s. Luca variis scientiis.
5. De eiusdem bone symbolico.

Designauit Dominus & alios septuaginta duos. Luc. 10.

## FIGVRA.

EZECHIEL & Apocalypsis quatuor nobis animalia describunt, mystica, prodigiosa & mirabilibus plena, quorum vnum vitulo erat simillimũ. Patrum omnium expositione sequendo, quatuor hisce animalibus quatuor Euangelistas, & vitulo Lucã denotari assero, cuius hodie celebritatem colimus, cuiusque vitam, gesta, merita, virtutes ac mirabilia describere vobis conabor, felicem porro vt exitum propositũ meum consequatur, tum quo vobis satisfiat, tum quo suus gloriose huic Euangelistæ honos habeatur, ad Spiritum S. nos conuertamus, suo nobis vt ad sit auxilio, gloriosæque Virginis intercessionem solitam inuocemus, atq; ideo eommuni voto in genua prouoluti, recitemus:

## Ave MARIA.

Quicumque vniuersam sacra scripturæ seriem & ordinem vtroq; in Testamento comprehensam curiosus indagauerunt, animadverterunt, ex omnibus illius historiis & enarrationibus tres mundi status præcipuos & ætates notari posse. Primum ab Adam ad vsq; Moysen, quem Paulus ad Romanos signatur, Regnavit mors ab Adam vsque ad Moysen. Secundum à Moysen ad Christum, tertium à Iesu Christo ad vsque finem sæculi: atq; triplici hoc in statu semper Ecclesiæ suæ Deus viros tum autoritate, tum sanctitate præstantes

stantes destinavit, qui eandem regerent, & animarum salutem procurarent.

In primo Patriarchas destinavit Noem, Abrahamum, Isaac, Jacob, Iosephum, aliosq; in secundo Prophetas, Moysen, Eliam, Eliseum, Isaiam, Ieremiam, & alios infinitos, de quibus Dominus in Evangelio locutus est, *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ex illis occidetur, & crucifigetur, &c.* In tertio Apostolos, Evangelistas, septuaginta discipulos & alios sanctos & eximios viros: de quibus omnibus ad Ephesios loquens Paulus ait, *Ei ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum.*

Mystice hoc figuratum fuit & adumbratū in operariis illis vineæ, de quib. in Evangelio sermo, *simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Magnus ille paterfamilias Deus est: vinea, Ecclesia: operarii vero pastores & sancti, quos ad illius regimen ac directionem destinavit. Ait Parabola Patremfamilias quater exiisse, summo mane, hora tertia, sexta, nona & undecima, ut hinc constaret, Deum similiter quoque egressum esse ad operarios in Ecclesie sue laborē emittendos. Primo summo mane egressus est, iam inde à mundi exordio, quo tempore Patriarchas conduxit, qui ad vsque tempora Moysis in vinea sua sudarunt. Deinde hora tertia, quādo Prophetas adduxit, qui vineam illam runcarunt & excaudicarunt, ad vsque Christi ætatem. Tertia vice circa sextam & nonam egressus, Apostolos & Euāgelistas & septuaginta discipulos in vnum coegit, & in vineā Ecclesie destinavit, qui strenue post Christi in caelos ascensum in eadem operati sunt. Ultima vice i. e. circa undecimam & vesperam egressus, post tempora Apostolorum & discipulorum Doctores, Predicatores, aliosq; sanctos viros emisit, qui tum manu & voce, tum etiā opere ipso & exemplo non segniter & integre laborarunt, & ad mundi vsque consummationem in Ecclesie salutem, defensionē ac propagationē incumbunt. Quamvis porro parabola quadruplicis egressus patris huius familias mentionem faciat, non nisi tres tamen ceteris insigniores norantur, matutinus scilicet, ad

tertiam & ad sextam & ad nonam, qui triplicem mundi statum, quem iam descripsimus, repræsentant.

Tametsi autem in triplici hoc statu se fa-  
cientia in  
Ecclesie re-  
gimine.  
qui in horum singulis magni nominis operarios miserit: in tertio tamen longe se admirabiliore quam in duobus prioribus ostendit: post Christi siquidem aduentum, ad Ecclesie sue gubernationem bonorum operariorum florem & selectissimos quosq; destinavit, tot celebres Doctores, tot prouidos & intrepidus Confessores, tot generosos Martyres, & infinitos alios viros, sanctitate vitæq; innocentia conspicuos, ut hoc eminens conspicuus Pates admirando exclamet, *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Quasi diceret, Tot tantosque sanctos viros ad Ecclesie sue statum dirigendū Deus destinavit, ut mirabile se hic exhibuerit, mirabile scilicet in eorum prædicatione, vita, miraculis & martyrio. Quamobrem Prophetæ intentionē dum examino, inferre hinc voluisse video, operarios, quos Deus in primo ac secundo mundi statu emisit, non esse cum tertiis villo pacto conferendos.

Amalecitæ dum Israelitis bello laceraret, Moyses, Iesu, i. e. Iosue ait, *Elige tibi viros potentes ex omnibus filiis Israel, & egredere, & conflige cum Amalec crastino, &c.* Tria hic notanda veniunt: primum, nunquam prius ante Iosue hoc nomine vocitatum fuisse, ut docte obseruauit Origenes: secundum, Moysen hoc bellum aggredi, neu sibi victoriam spondere ausum: imo ne delectum quidē militum facere voluisse, sed Iesu omnem autoritatē tradidisse: tertium, cum nomē Iesu hic reperitur, mystice hic denotatum fuisse, per legē naturalem aut scriptā peccatum non debellari, imo nec illis gratiam conferre, neu strenuos bellatores seligere potuisse, sed Iesu Christo & Evangelio id reseruatū fuisse.

Nescio sane, an sol vnquam generosiores magisq; strenuos bellatores viderit, quam illos, qui post Iesu Christi aduentum in mundo cōparuerunt. Quis, obsecro, fortiores & infractiore animo vidit vnquam milites, quā Apostolos & Martyres? Dauid inter primos de iisdem vaticinatus, deos fortes terræ eos nuncupat, *Dii fortes terra vehementer eleuati sunt.*

Apostolus quoq; ad Hebræos de aliis etiam loquens, in bello inuincibiles eisdem extitisse refert: *Fortes facti sunt in bello, &c.*

**Cant. 5.** Canticorum liber lectulum Salomonis à sexaginta viris fortissimis & circumlocus armatus quotidie custodiri asserit, *Sexaginta fortissimè amunt ex fortissimis Israel.* Lectulus hic ac thalamus regius Ecclesie Christi statum representat, de quo in Euangelio dicitur: *Ecce plusquam Salom. on hic,* sexaginta porro fortissimi, ubi numerus certus, p. incerto ponitur, qui asidue illum custodiendo circumstant, Apostolos, Euangelistas, discipulos, atque alios plurimos Sanctos, quos Deos velut omnium fortissimos & generosissimos ad Ecclesiam sue custodiam & conseruationem selegerat, designant. Quorum robur ac fortitudinem expressit Propheta dicens, *Ipsò dabit virtutem & fortitudinem plebi sue.* Ecquæ fuit Apostolorum virtus, quæ septuaginta discipulorum fortitudo?

**Num. 11.** Occasione septuaginta discipulorum huc trahã, quod in libro Numerorum dictum est. Deus enim quo Moysis onus subleuaret, & populus sui quiete posset, septuaginta magni nominis & auctoritatis viros de senioribus Israel selegi iussit, quibus Moysis spiritum cõmunicauit ac sapientiã, illius vt coadiutores & collegæ forent, tamq; domi quam belli illum consiliis & opere iuarent, *Et dixit ad Moysen, congrega mihi septuaginta de senibus Israel, &c. auferam de spiritu tuo, et adam q; eis, vt sustentent totum onus populi, & non tu solus graueris.* Hoc olim inter Iudæos in figura, at deinde in Ecclesia Christi in rei veritate contigit: nam Pater æternus auferens de spiritu Iesu Christi, Apostolis & septuaginta discipulis illum cõmunicauit, quos vt coadiutores & Ecclesie regimine illi collaborarent, & onus simul sustentarent, assignauit, imo velut socios dedit: ita docet 1. ad Corinth. 1. Apostolus, *Vocati estis in societatem filii eius, &c.*

**1. Cor. 1.** Sexta filiorum Israel, mansio fuit in loco quodã duodecim fontibus irriguo, & septuaginta palmis conspicuo: *Venerunt autem in*

**Exod. 11.** *Elim filii Israel, ubi erant duodecim fontes aquarum & septuaginta palma, &c.* Qui allegorice exponere hoc voluerit, reperiet, sextam hanc

mansionẽ sextam mundi ætatis figuram fuisse, in quam Iesu Christi incidit natiuitas, in qua Ecclesia substitit & calcramentata est: prima ab Adamo fuit ad vsque Noeum, secunda à Noe ad Abraham, tertio ab Abrahamo ad Moysen, quarta à Moysè ad Dauidẽ, quinta à Dauidẽ ad Christũ, sexta deniq; à Christo ad finẽ vsq; mundi. Ceterum duodecim illi 70. Discipulos duodecim denotabant Apostolos, qui pulsi in 70. velut gratiarum fontes vniuersam Ecclesiam palmis irrigauerunt, & septuaginta Palmæ discipulorũ gurati. Septuaginta figuræ erant, qui modestæ suæ vmbra & miraculorum opacitate eandẽ obumbrarunt. Moyses initio Exodi illustrem ac splendidam Iacobi genealogiam texes, duodecim illum Patriarcharum patrem fuisse ait, quorum hæc fuerẽ nomina, Ruben, Simeon, Iudæ, Iudas, Isachar, Zabulon, Benjamin, Dan, Naphthali, Aser & Ioseph: è quibus deinde septuaginta natos ait, *Erant igitur omnes anima eorum, qui egressi sunt de femore Iacob septuaginta.* Accedit hoc quam proxime opinionem nostram, si enim vel parum mysterium collari duod. hoc sublimare voluerimus, & ad anagogiam decem Patrum reducere, inueniemus, quod quemadmodũ triarchis. Iacob duodecim habuit filios, qui duodecim illi Patriarchæ fuerẽ, ita Christus totidẽ habuerit adoptiuos, duodecim in quã Apostolos & alios septuaginta discipulos, omnes esse genitos & à se destinatos missos, *Sicut misit Ioan. 20. me ueniens Pater & ego misit vos,* atque omnes auctoritate & sanctimonia eximios.

Et paucis vt dicam, sunt noui illi operarii, noui illi bellatores & septuaginta discipuli, de quib. in Euangelio sermo est, *Designauit Dominus & alios septuaginta duos.* & quoniã Euangelium hoc non sine omine in gloriosi Lucæ Euangelistæ festo legitur, qui vnus è numero septuaginta illorum discipulorum: primo in genere Euangelii expositionẽ adferemus, ac dein de sigillarim ad D. Lucæ merita & elogium descendemus. Atq; vtraq; ex parte demonstrabimus, in vltimo hoc & tertio mundi statu maximos homines, virosq; sanctissimos ad Ecclesie administrationẽ illum selegisse, vt in exordio dicere cœperam.

Quod ad primum, certum est, & è scriptura colligitur, post electionem ac vocationem duodecim Apostolorum, Dominũ ad sui se-  
II. Electio 72. discipulorũ  
quæ

quela & Ecclesiæ regimen septuaginta duos  
elegisse discipulos, vt. è verbis his colligitur,  
*Designauit Dominus & alios septuaginta duos,*  
quos voto paupertatis astrinxit, veruitq; bac-  
ulum, aut sacculum, aut calceameta ferre, *No-*  
*lite portare sacculum, aut peram, aut calceamenta.*  
Inermes illos emittit, & sine pecunia: sine ar-  
mis mundum tamen ynuerfum subiugaturus,  
sine pecunia eundem ditaturos: sine armis, vt  
terre fortitudinem & potentiam irriderent:  
sine pecunia, vt diuitias superarent: sine ar-  
mis, suum vt robur & potentiam demonstraret:  
sine pecunia, vt prouidentiam. Quæ agendi  
ratio mundi consuetudini penitus contraria  
est & repugnans.

line auro &  
armis nihil  
egit mundus.

Tullii regis  
laetitia.

de conce-  
tus alii, q  
mum.

1. i. 12.

1. Cor. 7.

Mundus enim suis in conflictibus & expedi-  
tionibus semper arma & aurum adhibet, usq;  
victoriam consequi solet, & terrorem incute-  
re: hæc siquidem belli nerui sunt & robur.  
Adeo vt Aristot. in Politicis scripserit, *Necesse*  
*est eos, qui ad republ. accedunt, & propter eos, qui*  
*imperium detrectant, & propter eos, qui inferte in-*  
*iriam conantur, arma domini in armamentis arto*  
*habere, &c.*

Hoc spectabat olim Tullius rex, cum apud  
Liuium diceret. *In armorum, sita est urbium po-*  
*rentia, qua nulla est absq; numer. sis copiis.* Idem  
quoq; habet Tacitus, *Neque quies gentium sine*  
*armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia*  
*sine tributis haberi queunt.* Hæc quidem mundi  
sententia & consuetudo.

Sed longe alia agendi ratio Dei est, limites  
enim imperii extensurus, inimicos debella-  
turus, victoriam relaturus, suos ab armis &  
auro parum instructos destinare solet. Hoc  
modo Isaiam Prophetam misit, nudum scilicet &  
inermem, *Vane & solue, inquit, sacculum de lum-*  
*bu tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis;*  
*& fecit sic, vadens nudus & discalceatus.* Quod  
ipsum Propheta admiratus exclamat, omnes  
que ad coeli inuentiones, nouamque agendi  
rationem admirandam excitat, *Notus facite in*  
*populo adinventiones eius.* Annon enim eximia  
& præstant adinuentio, quam admirari par  
est, Reges à piscatoribus debellari, Philoso-  
phos ab indoctis & imperitis refutari, ma-  
gnos à paruis euinci, diuitibus insultare pau-  
peres, milites & bellatores ab inermibus &  
simplicibus pessumdari. Hoc est, quod Apo-

stolus admiratur dicens, *Inferna mundi elegit*  
*Deus, vt confus. dat sortia, &c.*

Omnes mundi vires & rerum stabilimentum  
non nisi in voluptatibus & carnalibus desi-  
deriis, in inani scientiarum saltu, & falsa cu-  
iudam libertatis spe consistebat. At Deus o-  
mnipotens, qui longe aliis in consiliis suos e-  
mittit, vt alia quadam ratione, & omnino cō-  
traria ipsum aggrediantur, ac debellant, iner-  
mes scilicet & tamen confidentes: sine diuitiis,  
& tamen contentos: omni comiteatu & pro-  
missione destitutos, & tamen securos: sine  
libris, & tamen omniscios. Audire commissi-  
onis eorū articulos, *Nolite portare sacculum,*  
*neque peram, neque calceamenta.*

In quo mū-  
di vis & ro-  
bur sita:

Cicero oratione pro Cæcinnâ eximiam  
hanc sententiā protulit, *Nihil est æquitati tam*  
*contrarium atq; infestum, quam conuocati arma-*  
*tis, milites, nihil iuri tam inimicum quam vis, &c.*  
Oratoris huius verba dum attendo, videretur  
mibi discipulorum Christi, egregiorum in-  
quam illorum cæli bellatorum nullio nō ab-  
similis fuisse, ac summum illum Domitium,  
qui eisdem misit, censuisse, nefas videri & æ-  
quitati penitus contrarium, eos, qui iustitiā  
& æquitatem promulgaturi veniebant, arma  
manū præferre, & militum mundi instar vim  
& violentiam spirare. Neque enim ea Dei  
est agendi ratio, ideoque illis dictum, *Nolite*  
*portare sacculum, neque peram, neque calceamen-*  
*ta.*

Libr. pro Cæ-  
cinnâ.

Adhæc mundi robur & fortitudo tetrena Milites  
inertiam, formidinem & diffidentiam, præ-  
sertim in viris generosis & magnanimis, qua-  
res & milites & bellatores Christi sunt, osten-  
tant, ideo sine armis & auro ire debent, &  
mitti solent. Lacedæmoniorum rex Cleo-  
menes, cum elatos vrbs cuiusdam muros vi-  
deret, ciues inertia ac vecordia arguens ait:  
O refugium & asylum mulierum! Potius hoc  
de Christi militibus dici queat: qui, si armati  
& crumena referta commissionem exequi  
suam velint, inertes, vecordes, & effeminati  
censendi sunt.

Cleomenis  
apophthe-  
gma.

Noluit Spartam Lycurgus muro cingi aut Lycurgi  
propugnaculis communiti, veritus ne ciues lex  
murorum altitudini & spissitudini consili, for-  
titudinem exueret. Magnus ille totius orbis  
legislator Christus Apostolus & discipulos

baculum, perā, calceamenta & sacculum, que sunt propugnacula & munitiones vitæ, ferre vetant, ne forte illis fidentes, viribus & fortitudine cœlitus collata excidant. Atque ideo

*Luc. 10.* aliter vt viverent, illis imperavit, dicens, Nolite portare sacculum neque peram.

*Matth. 10.* Addunt Matthæus & Marcus, neque virgam aut baculum. Virga autem hæc egregios mihi suggerit conceptus. Docere hic illos & simul omnes vos voluit, veterem idolorum cultum iam exterminandum, & profanas superstitiones abolendas. Ratio huius est, quod veteres in æteras abominationes baculo instructi consulerent. Vnde Oseas Propheta, Populus meus in ligno suo interrogavit, & baculus eius annunciant, spiritus fornicationum decepit. &c.

*Os. 4.* Discipulos autem dum verat baculum ferre Dominus, idololatricæ superstitionis ruinam portendebat. Secunda ratio hæc est, Magnus Gentium Pontifex in sacrificiis baculo vti solebat, que lituum dicebant, vt ait in diuinatione Cicero, Quidquid, inquit, lituus ille vester (quod clarissimum est in signo auguratus) vnde est vobis traditus? Plutarchus quoque in Romuli vita ait, Lituus, inquit, conecratus est in Palatino collo, que ad Gallorum tempora, à quibus capta vrbs incensa est. Baculo hoc, velut pontificatus sui insigni varias superstitiones & ineptias exercebant: nam illum in sublime iacientes, è sono, quem in terram cadens edebat, augurabantur, & futura prædicebant: Christus vero quod discipulos ad prædicationem emittat, & sacerdotales functiones exercere, & sine baculo inter Gentiles incedere velit: ostendere vult, baculum diuinatum & auguralem illis necessarium nõ esse, & omnem idolatriam pessum ituram.

*Lib. 1. de diuin.* Terciam hanc pono. Baculus aut virga libertatis olim erat symbolum, Romani quippe seruos manumittentes virga, quam vindictiam, nomine à quodam seruo Vindicio, qui coniturationem quandam in Rempubl. conceptam detexit, mutuato vocabant, percutiebant. Libertatem mundi euersurus, & hominum intellectum beata quadam ratione captiuaturus venerat Christus, de qua Apostolus ait, Captiuantes intellectum in obsequium

*Symbolum libertatis baculus.* *Lituis.* *Rom. 6.*

fidei, exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Ac paulo post: Nunc vero liberati à peccato, serui autem facti Deo. Ideoque discipulos sine virga per viam destinari.

Quarta accedat. Mundus iam longo vsa tyrannica quadam violentia iustos & innocentes affligebat, Christus vero ad nos ex hac captiuitate liberandos & huiusmodi crudelitatem proferendam venerat, iuxta illud Psalmi, Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Hinc cum virga libertatis figura semper fuerit, vt se mundum in libertatem asserendum venisse testaretur, nõ vult discipulos virgam per viam portare.

Hæc denique quinta. Baculus tempore Mosaiico veterem legem denotabat: ita tradit in Homiliis in Exodũ Origenes, & Chrysostomus in Psalmum vigesimum secundum Baculum quem habentes Hebræi agnum Paschalem manducabant, veteris legis imaginem esse: idem quoque denotabat virga Moysis, & Iacob & Elisæi baculus, quo Sunamitidis filium ad vitam reuocare potuit: & virga illa ferrea, cuius Psalmographus meminit, legis rigorem designabat. Ostensurus igitur Dominus, legem illam transiisse, & Evangelicam inualecere & celebrari fieri debere, voluit discipulos sine virga, baculo, imo & sine peram prædicare, Neque sacculum, neque peram, &c.

Ad conuiuiorum scilicet delicias, & ferulorum luxus, ingluuiem & auaritiam proferendam, quæ duo si in seruo Dei, & prædicatore Evangelico reperiantur, magnum illi dedecus & infamiam adferunt, si enim de milite hoc testimonium Alexander Seuerus, teste Lampridio dixerit, Miles non timet nisi vestitus, armatus calceis, & satur, & habens aliquid: quasi nihil generoso & strenuo militi ingluuiæ, voluptatibus, deliciis & diuitiis foret indignius: merito Dominus à discipulis suis hæc omnia proscripta & ablata voluit, eosque quam paucissimis contentos esse, ac diuitias negligere, eos nec sacculum, nec peram, gestare permittens, id est, nec comestum, nec pecuniã, quod alius Evangelista clarius exponit, dum ait, neque pecunia in zonis vestris.

Virga symbolum legis antiquæ.

Exod. 4. Gen. 32. 4. Reg. 4. Psal. 2.

III.

Matth. 10. Locum

Veteres pecunia in zonis portabant. Locum hunc expositurus, tum Latinas, tum Græcas antiquitates consulere debeo: atque ut intelligatur, sciendum, moris apud veteres fuisse, aurum in zonis gestare. Egregium mihi huius testimonium suggerit Suetonius in Vitellio, *Zona se aureorum plena circumdedit*: quin & Pelcennio Nigro scribens Spartianus ait, *Iussit, ne zonis multos ad bellum aureos vel argenteos portarent*. Græchum quoque tradit Agellius, cum proconsolatu defunctus Romam rediisset, integritatē suam restaturum, his apud populum Romanum verbis usum, *Zonas quas plenas argenti extulisti, eas ex Provinciis inanes retuli*: quasi diceret, nemo me concussionis aut peculatus, aut avaritiæ nomine fugillet: nam in provinciam proconsul profectus, zonam auro & argento gravem extuli, at dignitate defunctus & domum revertens nihil mecum circumfero, quod sinceritatis integritatisque proconsularis argumentum est.

Cur Dominus in zonis gestare prohibet Dominus, ab omni avaritia eos alienos esse vult, & ad Evangelicam libertatem spirare; avaritia enim servitus est, iuxta id Apostoli: *Quod est idolorum servitus*. Porro hoc modo cum incederet, verum Iſaiam dixisse testabantur, qui de futura Messia ætate agens dicebat, *In illa die proiecit homo idola auri & argenti sui*, &c. seque illos esse, de quibus Pſaltes prædixerat: *Qui probati sunt argento*, sed nec his contentus est, vult etiam nudipedes illos incedere, sine calceamentis: *neque calceamenta*.

In huius rei figuram voluit olim Moysen calceos solvere Deus, & nudis pedibus ad rubum ardentem accedere: *Solve calceamenta de pedibus tuis*. Moysen rubum hunc sentibus & igne plenum visionem magnam nuncupat, eūque accessurus, calceos exiit. Ostendere mysterium volebat illos, qui ad divinorum mysteriorum pertingere cognitionem volunt, quæ rubus ardens & spinosus sunt; nudis pedibus accedere, id est, corde mundo & puro, omnemque in mundum animæ affectum exuere debere. Quare cura discipuli ad hoc destinati essent, i. e. ad maximorum fidei mysteriorum, qualia sunt omnia, in quibus ma-

xima difficultas & spinæ variæ ac nodi continentur, cognitionem percipiendam, vetuit ne calceamenta portarent.

Sed audite & alia. Dilectus ille in Canticis dilectæ suæ merita & perfectiones dilaudans calceamenta quoque illius de prædicavit, *Quæ Cant. 7. pulchri gressus tui filia Principis in calceamentis*, &c. Interea idem sponsus, qui Christus, discipulos vetat calceamenta gestare. Quam mysteriorum harmoniam ut intelligatis, sciatis oportet, calceamenta affectuum & voluntatum imaginem esse, & virginis Deiparæ sponfam: & quoniam omnes illius affectus & cogitationes sanctæ fuerit ac cælestes, cæterarum vero creaturarum terrestres & vitiosæ, ideo hæc ob calceamenta laudatur, cæteris vero interdictum, ne eadem velut inhonestas gestent, *neque calceamenta*.

Voluit Israelitas semper calceatos esse Dominus, quamdiu in terra Egypti permanerent, quod moraliter exponentes patres pluribus spectantia adferunt. Ambrosius & Gregorius aiunt tacite hic denotari, in mundo noxia ac venenosa timenda esse. Alium conceptum adfert Gregorius Nyſſenus, aitque vitam asperam & rigidam hic denotari eorum, qui Egypto mundi huius egredi gestiunt, ne forte a vitiorum spinis lædantur. Quidquid sit, non parum mirandum Hebræis præcipi, semper ut calceati essent, discipulis vero calceamenta gestare inhiberi.

Ut vero hoc mirandum, ita quoque mysterio non vacat, primo namque designatum hic fuit ministrorum Synagogicorum & calceos ferre Ecclesiæ pastorum ac præfulum discrimen: re veterum illi calceati & vestiti erant, & mundo penitus immerſi; hi vero nudi esse iubentur, & ab omni terreno affectu mundati. Deinde ad voti, quod omnium nomine Petrus emisit, solennitatem demonstrandam, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus*, reliquimus inquam, uxores, bonas, honores, voluntates, imo & cogitationum & affectuum calceos. Tertio calcei, ut bene sanctus Hilarius observavit, e mortuorum animalium corio confecti, symbola mortis esse queunt, adeo ut calceos gestare aliud non sit, quam mortem non metuere. Et quoniam Iesu Christi discipuli

discipuli eiusmodi & animi generosi esse debebant, ut quibus ipse antea dixisset, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, ut magis etiam intrepidi & validi redderentur, toto vitæ tempore calceos illos ferre vetuit. Atque hæc sunt, quæ circa Euangelium dicenda habebã, iam de S. Luca agendum, quod reliquum navigationis meæ spatium est.*

IV.

Gloriosus Lucas (eius ut præconia texere incipiam) vnus è numero quatuor secretariorum & notariorum religionis nostræ, id est, Euangelistarum fuit, cuius Paulus Corinthiis scribens meminit, *Misimus vobis fratrem nostrum (Lucam scilicet) cuius lacus est in Euangelio per omnes Ecclesias.* Ipse fuit, iuxta magni Gregorii opinionem, discipulus ille, qui in die resurrectionis Dominicæ cū Cleopha Dominum in Emaus retinere conatus est, dicens, *Mane nos iscum Domine, quoniam aduersa fecit.* Fuit fidelis D. Pauli in omnibus illius itineribus & aduersitatibus comes & socius, ut ipsemet Timotheo scribens testatur, *Lucas est mecum solus, &c.*

1. Tim. 4.

Medicus peritus Lucas.

Coloss. 4.

Erat autem arte medicus, & quidem inter peritissimos accensendus. Ita siquidem de eo ad Colossenses scribit Apostolus: *Salutat vos Lucas Medicus charissimus.* Atque ut medicus præcipuas quasque curationes & sanationes, quas Christus in vita fecit, scripto prodidit, ac præsertim, quæ ad spiritus & animi persanationem spectabant, solus siquidem ipse Magdalenæ morbum, lasciuiam scilicet & carnis petulantiam, simul quoque quam sanitatem consecuta est, enarrauit, solus ipse Zachari vlcus tetigit, auri cupiditatem scilicet, eiusque malagmata: solus ipse filii prodigi apostema, luxum scilicet detexit, & mirabilem illius sanationem descripsit. Ipse denique solus de iniuriis loquens, Christi exemplum protulit, qui pro inimicis suis, tormentis & suppliciis saturatus, in cruce deprecatus est.

Quatuor morbos corporales curandi modi.

Velut peritus & excellens medicus, cum sciret omnes corporum morbos quadruplici ratione, primo per phlebotomiam vel sanguinis noxii, qui intra venas delitescit, di-

minutionem: deinde per abstinentiam ac dietam, tertio sudoribus, quarto per purgationem & amara catapotia persanari, quatuor alia his affinia ad morbos animæ dispellendos imprimis expedientia media suggessit. Ac primum medicinæ aphorismum, quem hic tradit, ita in scripta retulit: *Beati pauperes spiritus; paupertas enim quædam phlebotomia est, quæ, quod in vita superfluum est, & morbos in anima causatur, auferimus. Secundus est, Beati qui nunc esuritis, vide dietam & abstinentiam. Tertius, Beati qui nunc fletis, quod ad sudorem spectat, lachrymæ omnes fletus veri animarum sudores sunt, ac sudores, qui illis imprimis necessarij sunt. Quartus denique, Beati qui persecutionem patiuntur: persecutiones enim catapotia & pœcula absinthiaca sunt, animabus tamen vtilia. S. Lucas vero velut peritus medicus, solus hos aphorismos & medica præcepta tradidit, hæcque remedia aduersus hos morbos præscripsit.*

Luc. 6.

At præterquam, quod magni nominis S. Lucas esset medicus, egregius quoque pictor erat, pictoræ raultaque Christi & Deparæ illius manu depictas imagines post mortem illius etiam superstites fuisse fama est. Venit mihi hic in mentem, quod Cicero & Plinius referunt: Postquam Paulus Æmilius Perseum Macedonia Regem bello deuicisset, duos sibi Athenis mitti viros postulabat, vnum Philosophum, qui Macedones Philosophicis præceptis imbueret, & alterum pictoræ, qui domos artificio suo condecoraret, cuius iussu morem gerentes Athenenses Metrodorum, Carneadis discipulum illi misere, qui duabus hæc dotibus ad stuporem vsque insignitus erat, ut qui pictor egregius, & Philosophus non minor simul esset, quod Atheniensibus laudi & ornamento fuit, qui tantos in Republica viros haberent. Proposito hoc meo adaptans, dico Ecclesiam multo potius alumnis & filiis suis gloriantur posse, utpote quæ tot excellentes & diuinos viros protulerit, sanctimonia & pietate illustres, alia huc exempla trahere nolo, quæ Lucam hunc nostrum, qui solus inter reliquos & magnus extiterit Philosophus, & Theo-

Lib. de Oratore.

Lib. 31. c. 11.

Metrodorus pictor & Philosophus.

Theo.



Theologus medicus quoque simul & pictor : doctrina illius e scriptis erui potest , in Actib. scilicet Apostolorum & vniuerso illius Euangelio.

Figura huius rei fuit limpida ille fons , qui in terrestri paradiso scaturiens , in quatuor sex mox flumina diuisit , quæ vniuersam terræ superficie irrigarunt. Fons hic Christum Dominum figurabat , de quo in Psalmis dictum , *apud te est fons vite : & in Canticis : Fons horti- rum , puteus aquarum viuentium : apud Isaiam quoque haurietis aquas de fontibus Saluatoris : & Ieremiam ; Me dereliquerunt fontem aquæ vi- uæ : & in Euangelio Ioannis , Fiet in eo fons aqua salientis : & Apocalypsi , Dabo de fonte aqua viua.* Scaturiens hic fons Christus est , magnus ille magister cælorum , & totius vniuersi doctor , cuius doctrina in quatuor sapientiæ riuos deriuata est , quatuor inquam Euangelia , quo- rum vnum Lucas composuit , qui velut flumen quoddam doctrinæ cælestis omnem Ec- clesiæ agrum irrigauit.

Qui nominis illius etymologiam exami- nare & inquirere voluerit , videbit à luce ip- sum derivari : atque fuisse vnum de numero illorum , de quibus dictum , *Vos estis lux mundi.* Lux vero mundi sol est , qui quatuor habet mirabilia , primo , quod sublimi sit loco collo- catus , *sol oriens in mdo in altissimis Dei.* Deinde , quod lumine suo hominum oculis sit iucun- dissimus , *Et delectabile est oculis videre solem.* Tertio , quod celerime moueatur , *Magna est terra , & excelsum est caelum , & cælox cursus solis.* Quod denique vtilis & admirabiles effectus producat , *Quia homo hominem generat & sol.* Omnia hæc Lucæ nostro adaptans , dicit eum velut paruam quendam solem , eadem ha- buisse proprietates : sublimitatem , rerum cæ- lestium contemplatione , ipse enim dixit : *Beati oculi qui vident , quæ vos videtis : delecta- tionem & gaudium , honestæ & benignæ vitæ conuersatione ; fuit namque de numero illo- rum , de quibus Apostolus ait , Nostra autem conuersatio in caelis est.* Promptitudinem & ve- locitatem , ardens & zelosa prædicatione , quod Dei verbum Antiochiæ , Alexandriæ , & per vniuersam Syriam annuntiaret , atque in- finitam hominum multitudinem ibi conuer- terit . Denique vtilitatem quandam singula- *Bessai tom. 3. de Sanctis.*

gularem & incredibilem , Euangelium suum componendo , quod vniuersam Ecclesiam lo- cupletauit : de quo Paulus ait , *Cuius laus est in 2. Cor. 8. Euangelio per omnes Ecclesias.*

Et sane omnes per orbem Ecclesiæ eun- dem deprædicant , & vniuersus Christianus orbis infinitis eum laudibus extollit , tum ob ea , quæ superius diximus , tum quod semper virgo & cælebs exstiterit : ita sibi persuadet Eucharius & alii , qui ob hoc illum in Vir- ginis Deiparæ secretarium credunt adlectum , quæ plurima illi mysteria & arcana , quæ aliis reuelata non fuere , aperuit : velut colloquium , quod habuit in conclauis cum Angelo , qui incarnationem Dominicam illi annuntiabat : canticum *Magnificat* , quod ipsa composuit , & Zachariæ & Simeonis ; quæ ipsa ab illis audie- rat : circumstantias & ceremonias natiuitatis & circumcisionis Christi , & alia infinita , quæ solus ipse , non alii Euangelistæ scripto man- dauit , atque huiusmodi in puritate octoginta quatuor annos traduxit , ac propterea in boue denotatur , qui castitatis est symbolum & continentia , *Factes bouis à sinistris ipsorum qua- tuor : & in Apocalypsi , Secundum animal simile vitulo.*

Plurima mihi hic occasione vituli ac bo- uis dicenda occurrunt , atq; omnia in Euan- gelistæ nostri laudem & præconium : primo ob quatuor bos prædicari solet : scilicet ob sa- crificia , in quibus Deo immolari solet . Lucas autem Euangelium suum à sacrificio Zacha- riæ & Virginis purificatione exorsus est . Ita enim incipit , *Fuit in diebus Herodis sacerdos no- mine Zacharias :* ideoque per bouem designari solet , vt notat Eucharius & Irenæus . Secun- do ob gressum , lente enim progreditur : atq; hoc modo in Euangelio Lucas procedit . Pri- mo enim Messie præcursores introducit , deinde ipsam Christi conceptionem , natiui- tatem , infantiam , pubertatem , adolescen- tiam , ad finem vsq; vitæ . Mathæus & Ioannes de ascensu illius in cælum ne verbum scripse- re : Marcus vero nullum de iudiciaria illius potestate ; Lucas autem gradatim progredi- tur , pertractat , scribit , ac tradit omnia . Tertio ob benignitatem , hoc enim animal iugo alli- garum , stimulo impetiturum , clamoribus obtu- sum non mugit obmurmurans , at iter suum

Lucas vir- go Virginis Deiparæ se- cretarius.

Vixit an. 84.

Ezech. 1. apoc. 4.

V. Quatuor norabilia in boue. Luc. adaptatur.

M m m m sem-

Gen. 11. Psal. 35. Ierem. 2. Iam. 4. Apoc. 21.

Nomen S. Lucæ deri- uatum à lu- ce. Math. 5. Ecl. 6. 1. Esai. 4.

lib. de celo.

Luc. 2.

Philip. 2.

semper prosequitur, omniaque placidissime sustinet: ad eundem quoque modum Lucas noster, patientia iugum dum subiisset, & acri persecutionum tyrannicarum stimulo pressus, & iniuriarum obstrepentis clamoribus aures obtusas habens, magna animi fortitudine ac patientia omnia semper tolerauit, atque vt Ecclesia canit, *Crucis mortificationem iugiter in suo corpore persauit, &c.* Quarto denique ob laborem, atque hinc olim apud Romanos caput bouinum floribus coronatum, laboris symbolum dicebatur: ipsa vero corona denotabat, laborem omnem & sudorem remuneratione dignum esse. Atque hoc ipsum non inscite Lucas nostro accommodari queat, qui bouis instar mille labores & difficultates pertulit, & strenue impigreque in Euangelii predicatione, & animarum conuersione laborauit.

Bos continentie symbolum.

Bos adhuc, vt longius progrediar, olim tritium rerum Hieroglyphicum fuit, quae Euangelista nostro apte conueniant, continentiae scilicet iustitiae & laboris. Quod ad primum igitur spectat, Sacerdotes Aegyptii, quod in boue insignem continentiam obseruassent, cum modestum vel temperantem vitum, prauarumque cupiditatum debellatorem, continentiae studiosum representare vellent, taurum expressere, qui natura validus & robustus. Testem huiusce rei habeo Pierium Valerianum lib. Hieroglyphicorum 3. Non inoperte igitur ac male scriptura & Ecclesia Lucam virum adeo prudentem, temperantem, castum & modestum, vt octoginta quatuor annis inuoluntariam castimoniam & continentiam seruauit, hac imagine expressit.

Item iustitiae.

Secundo certissimum est, taurum imaginem & figuram iustitiae semper extitisse, in cuius rei confirmationem Aaron Pontifex, quo iustitiam suam populo restatam faceret, iussus fuit tum pro se, tum pro vniuersa familia vitulum & hircum pro populi delictis immolare. Adhuc Athenienses suam patefacturi iustitiam, vel honestum laborem, vt nonnulli volunt, compensaturi, pecuniam suam bouino capite signabant. Quin etiam ad tempus, ab vno nummorum latere Imperatoris sui imaginem, ab altero bouinum caput pingebant, quam eudendi consuetudinem tam inde à Thesci temporibus illis in vsu fuisse prodit

Pierius lib. 3.

Plutarchus. Adhuc ita bouem, qui iustitiae symbolum, veteres colebant, vt iidem Athenienses morte eum afficiendum censerent, qui bouem extra necessitatem occidisset, non secus ac si hominum interfecisset. Romae quoque capitale putabatur huicce animali iniuriam aliquam irrogare. Cum igitur Lucas tam sanctus & iustus vir fuerit, mirum nemini videri debet, si inter Euangelistas per bouem, qui iustitiae symbolum, denotetur.

Capitale delictum erat bouem maculare.

Tertio, constat bouem vel tantum laboris & tolerantiae semper symbolum fuisse. Hinc moris apud veteres Germanos fuit, nonis nuptis par bouem eidem iugo annexorum, equum frenatum, & clypeum cum reliquis armis, velut dotem & connubii arras mittere: quod munus Tacitus interpretatus, ait sponsa illos indicare voluisse: iam se cum marito eosdem subire labores & matrimonii onera, & omnium molestiarum tam pacis quam belli tempore, quod bos, equus & arma representabant, fieri participem debere.

Bos laboris & tolerantiae symbolum.

Pierius lib. 3.

His adiungamus quid è Mathematicorum & Astrologorum sermone de promptu tradunt siquidem eos, qui in Tauro signo nascuntur, laboriosos fore & perpetua mancipia, quod animal hoc praeter ceteris iugum subeat. Quod spectarunt etiam Titii, cum Carthaginiensia fundamenta iacerent: reperto enim capite bouino ab incepto desistere, & alio loco locum fundare debere iudicabant: quod animal hoc & fatalis inuentio non nisi molestia, difficultatem, ac laborem portenderet: tum vero meliore animo fuerunt, cum procul inde equi caput repererunt, quod urbem bellacem & bello inclutam fore significaret. Non immerito igitur Lucas noster per animal hoc exprimitur, utpote qui tot exantlat ac subiecit labores, totque in vitae cursu perpeffus sit molestias. Testabantur hoc ea, quae scripsit, quae multis in locis praedicauit, atque ad Ecclesiae augmentum praestitit.

In Numerorum lib. duodecim boues reperio, qui ingens quoddam vas aeneum sustinentes, non nisi capita praeferrunt, & posteriora occultant, quod S. Gregorius exponens ait, verum hoc Ecclesiae pastorum symbolum esse, quorum exteriorem quidem agendi viuacitatem rationem perspicere licet, at interiora

Num. 7. Reg. 7.

riora & opera & arcana à solo Deo conspici, Interpretatio hæc non adeo inscita & incommoda est, ut nec illa, qua vase hoc fusili Ecclesiam denotante, & bobus illius pastores, qui ad laborandum sudandumque electi & destinati sunt, dixerit, Lucam non male in vno horum animalium designari, quod vnus è primis & maximis Ecclesie pastoribus fuerit, quique tantum in crucis fundatione & Euangelii propagatione laborauit.

*Bos & ceruus auditur. Valerius lib.* Vestra venia aliud quid de hoc animali dicendum occurrit: notatum scilicet ab iis, qui de animalibus scripserunt, inter quadrupedes bouem & ceruum auditu valere. Atque ideo hieroglyphici Egyptii promptam & expeditam obedientiam exprimere dum vellent, aurem bouinam, velut auditus symbolum pingebant. Lucas vero doctus ille, diuinus & gloriosus Euangelista, cum in Dei obsequio, vocatione, Euangelio, in terras externas protectione, prædicationis officio, tot laborum, molestiarum, ac difficultatum tolerantia, facultatum terrenarum relictione, sui ipsius abnegatione tam promptum se, humilem & obsequentem reddidisset: nemini mirum videri debet, si per bovem denotari illum voluerit Dei, cuius auris adeo bona & sapida, quæque & obedientiæ symbolum. In huius rei testimonium noluit sibi Deus animal auribus truncum immolari, ut hinc euidenter fieret, animas quæ inobedientes sunt, illi gratas non esse, sed quam maxime displicere.

*Mors D. Lucæ.* Nihil itaque ad laudum & præconiorum sancti huius Euangelistæ complementum & perfectionem reliquum est, quam ut de morte illius loquamur: in qua aliqua occurrere solet difficultas, dubitant enim, imo & negant plurimi, martyrium illum subisse, D. Hieron. secuti, qui in illius elogio Martyrii non meminit. Certissimum est tamen, Martyrem illum fuisse, quod magnorum virorum, & omni exceptione maiorum testimonio confirmare possumus: primo sancti Gregorii Naz. S. Paulini, qui suum hoc disticho testimonium complexus est.

*Orat. 1. in Iuan. ep. 22.*  
*Orat. de deo Basil.*  
 Hic pater andreas, & magno nomine Lucas  
 Martyr & illustris nomine Nazarius.  
 S. Andream & Lucam iungit & combinat,  
 quod ambo Patres in Achaia martyrium sub-

ierint. Deinde & Gaudentii Brixienfis, & Nicephori, qui supplicii quoque genus deseribens, in cruce oleaginea illum obiisse asserit, *Niceph. li. 2. cap. 48.*

Cum generosum hunc Christi athletam tam feliciter in cruce vitam finientem videam, orationi quoque meæ in cathedra sinem imponam, vosque exhortor & obtestor, ut vitam, mortem, & eximias gloriosi huius Euangelistæ virtutes colatis, admiremini, & honoretis. Quamobrem merita illius vobis proponite, vitæ sanctitatem imitemini, in perfectionem respicite, cumque vniuersa Ecclesia de illius martyrio gaudere, vestras illi preces offerre, illiusque patrocinium, & qua in cælo valet auctoritatem deprecari.

Tu vero gloriose Euangelista, beate cælestis ciuis & meritis incomparabilis, vota & supplicationes nostras propitius exaudi, tuam medicorum gloria, Euangelistarum decus, prudentum virginum speculum, pictorum gemma, & discipulorum Iesu Christi, ornamentum, opem deprecemur, ad te oculos nostros conuertimus, ad te animum mentemque dirigimus, aurem precibus nostris accommoda. Fac o veritatis mysta, Spiritus S. calame, Euangelii doctor, sublimium mysteriorum scriba, diuinitatis præco, ut quod verbo docuisti, nos opere complectamur: quod prædicasti, credamus: quod fecisti & operatus es, imitemur: quæ enim scripsisti, si crediderimus, & quæ fecisti, imitati sumus, certissimam, per fidem simul & bona opera, cælestem aliquando gloriam aduandi concipere spem possumus, ad quam nos Pater, & Spiritus S. conducere ac perducere dignetur,

Amen.

